RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE REGIO AC DOMINO

DN. FRIDERICO AVGVSTO

ELECT. SAX. HEREDE

DISSERTATIONEM SOLENNEM

DE

SOMNO MERIDIANO

PRAESIDIO

D. IO. GOTHOFREDI BERGERI

POTENTISS. POLON. REGIS ET ELECTORIS SAX.
ARCHIATRI, COLLEG. MEDICI SENIORIS
ET PROF. PRIMARII,

PRO LICENTIA

IMPETRANDI SVMMOS IN ARTE
SALVTARI HONORES

P. P.

IO. CHRISTIANVS METZNERVS

BVDISS. LVSATVS.

A.D. FEBRVAR. cIↃ IↃcc VII.

IN AVDITORIO MAIORI

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS.

VITEMBERGAE, PRELO GERDESIANO.

DE
SOMNO MERIDIANO

DISSERTATIO SOLENNIS

I.

Icuti venter victu ſaturatus et plenus ad capiendum a meridie ſomnum invitat: ita huic laudes ignorata ſomni natura peperit. Cum enim cibo potuque diſtenta et onuſta ventriculi ſarcina non ſolum vi chylum antevertentis, venasque ſubeuntis tenuioris alimentorum partis, ſed etiam preſſione aortae deſcendentis et circumiacenti-

um arteriarum, copiosiore humorum accessione per ramos aortae ascendentis, replendo gravandoque caput, cum huic, tum sibi et universo corpori gravis evadat, et somnolentum reddat hominem; et vero ab antiquis medicis pariter ac philosophis somnus coitus quidam caloris ad interiora refugientis, isque calor concoctionis causa et instrumentum habeatur: opportune laudem invenit somnus meridianus, quod somno, abdente se tunc in profundiores corporis recessus calore, quasique ad foci sui sedem remeante, concoquendi semper opus melius atque felicius, quam in vigilia, peragatur. Ex his *Aristoteles III. de Nat. animal. 19.* dormientibus cunctum sangvinem partes exteriores corporis adeo deserere et subire interiores, existimavit, ut adacto etiam cultello minus effluere queat. Neque aliud voluisse videtur *Plinius X. Hist. nat. 75.* ubi somnum animi esse in medium corpus quendam recessum, definivit. Sed posteaquam usus commonstravit, somnum istum plus plerumque damni, quam commoditatis afferre, multis hoc peius is audire coepit, quo minus etiam ista somni concoctionisque, quam vocant, ratio intelligentibus probata fuit.

II.

Quam quidem rem ut recte utiliterque disceptemus, meminisse iuvabit, vitam nostram his duabus contrariis vigiliae somnique vicissitudinibus constare. Ac vigiliam quidem, scimus, esse partem illam vitae actuosam, obeundis peragendisque animae et corporis operationibus necessariam, qua homo celsus erectusque constituitur, et ratione pollet, atque consilio prudentia-

dentiaque utitur, et omnes ictus appulſusque obiectorum ſentit, ac miniſterio quidem oculorum, aſtrorum motus, obitus curſusque, et omnem coeli ornatum, in quo divina elucet maieſtas, et rerum quarumvis aſpectabilium colores et figuras, tum venuſtatem atque ordinem, atque alia etiam maiora, virtutes nempe et vitia, iratum, propitium, laetantem, dolentem, fortem, ignavum, audacem timidumque cognoſcit; ope vero aurium tot ſonorum varietates et vocis genera permulta percipit, atque aliorum adminiculo organorum alia ſenſuum munia exercet, et per hos veluti aditus uariarum rerum notitiam, ipſiusque cognitionem Numinis conſequitur, et adiumento muſculorum multarum artium miniſtras manus, et artus ceteros, membraque alia, et corpus univerſum ſcite ac provide, vel ad uſum, vel ad oblectationem, agitat et movet, loquitur, canit et modis aliis varie pectus movet et reſpirat, ſtat, ambulat, ſedet, currit, equitat, navigat, bonum proſequitur, pericula devitat et propulſat, init ſocietates, amicitias colit, de futuris neceſſariis ſibi proſpicit, et vitae adminicula, varietatem nempe cibi et copiam, domicilium, veſtitum invenit, et varium vitae genus terra marique habet, et vividam ingenii mentisque vim ac vigorem corporis ubique oſtentat. Quae cum omnia multo ſe aliter in ſomno habeant, vitae diſſimilimam, quae tota actionibus conſtat, dormientis conditionem oſtendunt. Neque enim erectam ſervare figuram is, qui dormit, poteſt, ſed muſculis artubusque feſſis, et conniventibus oculis, toto ſtratus corpore iacet, neque videt, neque audit, neque loquitur, nihilque recte aut ſapit, aut in-

telligit, et ſi ad officia ſpectes, parum a plantis, et uno reſpirationis motusque arteriarum et caloris intervallo a mortuo differre videtur. Idcirco ſomnum *Ovidius II. amor. el. 9.* imaginem, et *Seneca in Herc. Fur. chor. act. 4.* fratrem mortis appellavit. Ac *Cicero de ſenect. Nihil*, inquit, *videmus morti tam ſimile, quam ſomnum.* Ob eamque rem *Plato* in *Tim.* καθεύδων, ait, γὰρ ὀυδεὶς ὀυδενὸς ἄξιος, ὀυδὲν μᾶλλον τȣ̃ μὴ ζῶντος. i. e. *Nemo dum dormit, honore ullo dignus eſt, non magis quam qui deſiit vivere.* Id quod magis pateret, ſi quis tota vita ſomno ſepultus iaceret. Τί γὰρ διαφέρει καθεύδειν ἀνέγερτον ὕπνον, ἢ ζῆν ὄντα φυτὸν; inquit *Ariſtoteles* in *Moral. Quid aliud eſt dormire ſomnum perpetuum, quam plantae vitam vivere?* Vt omnino cauſam habuerit *Th. Browne*, cur *lib. de relig. med. P. II. ſect. 12.* ita ſcripſerit: *Somnus eſt ita morti ſimilis, ut ei me committere non audeam, niſi precibus factis, et luci quodammodo per colloquium cum Deo habitum valedicto. Hoc hypnoticon cubitum iturus adhibeo, nec alio mihi Laudano ad ſomnos faciendos opus eſt. Poſtea ſecurus ad ſomnum componor, ſoli longum valedixiſſe contentus, et ad reſurrectionem usque libenter dormiturus.*

III.

Hanc autem vigilandi dormiendique viciſſitudinem, in qua una totus animalium ſtatus perdurat, non temere aut invidia factam putemus, ſed ſummo conſilio divinae ſapientiae, ut homo caducus, diurnis et continuis alioquin intelligendi, ſentiendi, movendique functionibus feſſus exhauſtusque, vires ſomni interpoſitione reparare, et liber aliquandiu curis, ab occupatione ſe relaxare poſſit, quemadmodum Poeta *II. Metamorph.* in hymno ad ſomnum cecinit:

Somne,

Somne, quies rerum, placidiſſime ſomne deorum,
Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris
Feſſa miniſteriis mulces, reparasque labori.

Neque enim fragilis materiae conditio perferendis aſſidue laboribus ſufficit, quin conſumto paulatim ſucco cerebri et nervorum, vividae horum undae, quibus ſenſuum motionumque operationes fiunt, dilabantur et rareſcant, et defatigatis muſculorum, quae ſunt fundamenta virium noſtrarum, fibris, fatiſcat tandem corporea moles et elangveſcat. Praeſertim cum in illa erecta celſaque corporis figura, et in tot tamque variis ac ſaepe contrariis membrorum et artuum motionibus, quibus vitae munia perficere ſolemus, preſſa varie et agitata, atque huc illuc per membra varie diſtracta, et perſpiratione corporis admodum debilitata, tum et recenti ſubinde ſucco, ex cibis advecto, praegnans humorum maſſa, motui, quo per vias acclives, atque ab inferioribus per venas ad cor, ex eoque per arterias ad cerebrum aſcendere, et per huius totque alias aliarum partium flexuoſas vaſorum anguſtias, vi pulſuque cordis progredi cogitur quidem, mole tamen ſua et gravitate naturali magis magisque renitatur, et molli inprimis vaſculoſo fibroſoque cerebri contextui gravis et oneroſa evadat, et his conſpirantibus cauſis variis, cor demum ipſum, una cum muſculis pectoris, quibus circuitus humorum per pulmones adiuvatur, viribus tribuendis vivide ſuccis neceſſariis deficere incipiat, et minori eos vigore per corpus pellat et circumagat. Quibus proinde rebus fieri ſolet, ut langvoris et laſſitudinis ſenſum, et quandam capitis plenitudinem ac gravationem experiamur primum, atque ad

mutan-

mutandum ſitum corporis rectum et perpendicularem, utpote moleſtum minusque commodum circulo humorum, cum plano et horizontali, quo facilius humores minorique labore moventur, coacti, aggraveſcente ſic preſſione cerebri ab aucto, dum decumbitur, niſu, nutante capite et conniventibus palpebris ſolvamur in quietem et obdormiſcamus. Nam quia hoc corporis ſtatu fibrae cerebri et inde propagatorum nervorum ſucco minus ſufficienti et alacri perfuſae et tenſae, ſed laxiores ſunt, nec concitandis propagandisque undis debitis, tam directis, quibus motus, quam reflexis, quibus ſenſus fiunt, ſatis aptae, preſſioni ſangvinis facile cedunt, inſtrumenta ſenſuum pariter ac motionum, quae nutui voluntatis parent, omnia conquieſcunt: dum interea animus, quum eius ſit naturae, quae ferietur nunquam, quin cogitet aliquid et expendat, ne ſaluberrimam corporis quietem interrumpat, ipſe ſibi avocamenta invenit, et in variarum contemplationem imaginum cogitatione declinans, audire, videre, guſtare, venari, ſtudere, negotiari, aut aliud ſe facere credit, tum ea omnia magnam partem ab iis, quae interdiu ſenſibus accepit, et pro corporis affectionibus atque humorum natura deſumit. Quo igitur magis ſomnus naturalis et tranquillior, hoc minus intus ſenſus flagrat, et corpus eſt remiſſius, adeo ut, quemadmodum vigiliam vitam appellamus actuoſam, ſive vigorem et liberum ſenſuum ac motionum et rationis ipſius uſum et exercitium: ſic ſomnum vitae illius actuoſae vel vigoris intermiſſionem et requiem nuncupare iure poſſimus.

IV.

IV.

Sed quamvis relaxata ſomno inſtrumenta ſenſuum motusque voluntarii organa otio fruantur et requieſcant: nunquam tamen cor ab actione ſua conquieſcit, ſed ſine intermiſſione agitatur et agitat. Movetur etiam pectus adminiculo et miniſterio ſepti transverſi et muſculorum inſpirationi ſervientium, quod cum muſculi ſint et hi et cor antagoniſtis deſtituti, atque ad continuandos motus perpetuo impellantur, minore vi et copia ſucci nervoſi, pulſu arteriarum alterne ex cerebro advecti, facile contrahantur. Cum contra muſculi motibus ſervientes voluntariis, quia aequaliter relaxantur, in aequilibrio et quiete omnes maneant, nec niſi nutu animi, vel cauſa alia aucto alicubi impulſu liquidi nervei in muſculos converſa bilance, langvide moveantur. Neque vero motu cordis et pectoris carere unquam ſalva vita poſſumus, quod hoc utroque motu vitalis humorum circuitus per pulmones corpusque univerſum conſtet ſibi et vigeat. At is tamen uterque motus, otiantibus ſenſuum motionumque voluntariarum operationibus, placidus admodum et aequabilis eſt, nullaque adhibita vi perficitur. Quo fit, ut circuitus etiam ſangvinis, qui in vigiliis propter varios artuum et thoracis, ipſiusque cordis et muſculorum aliorum labores, varius eſſe ſolet, relaxatis ſomno et quieſcentibus membris, atque adeo poris et meatibus vaſorum et ductuum ubique ſatis patentibus, maxime ſit aequabilis et naturalis, unde multa quidem magnaque in nos commoda redundant. Siquidem hoc ſan-

gvinis circuitu maſſa eius, diverſis indole, mole et gravitate particulis conſtans, et nixu antea contentioneque cordis et muſculorum variorum varia, per vaſa, modo magis, modo minus patentia, coacta et diſſipata, novoque ex cibis advecto ſucco foeta et confuſa, ad placidam ſuorum minimorum agitationem, diviſionem et debitam mixtionem unionemque ſenſim redit, et pulſu cordis aequabili ac moderato per aortam progrediens, innumerabilibus tot veluti planorum, quot ſunt rami arteriarum, occurſibus ex ſuo penu varias mole et pondere particulas per diverſos capacitatis hiatu meatus tribuit, eoque artificio in diverſa colore ac tenuitate liquida ſecedit, quae vel ſuis quaeque locis et ductibus collecta et diſtributa, ſuccos conſtituunt, alendo, ſentiendo, movendo, gignendoque utiles ac neceſſarios, vel ſangvini in venis iterum permiſcentur, ut in priſtinum revolvantur orbem, vel plane ſalubriter difflantur, quo ſupervacaneo corpus onere levent. Perſpirationem puto occultam, quae plenior eſt omnibus aliis evacuationibus ſimul unitis, et multis cunctas unciis ſuperat. Ea enim una in ſomno ita viget, ut, quod *Sanctorius a Sanctorio Med. ſtat. S. IV. aph. 1. 2. et 17.* annotavit, ſeptem horis quinquaginta unciae cocti perſpirabilis in robuſtis ſaepe exhalent, et dormiens ſeptem horarum ſpatio occulte et ſalubriter perſpirare ſoleat duplo magis, quam vigilans. Namque ea excretio, quae ſomno fit, placide nulloque procedit impetu, ſolius motu cordis et reſpirationis moderato, atque effluvio quodam continuo coctorum perſpirabilium, per patentes ubique poros abeuntium ſine acrimonia: cum contra in vigilia propter anguſtiam pororum cutis ex

ten-

tenſionibus partium et perpetua quadam muſculorum conſtrictione, cruda et acria inaequaliter et aſſultim, nec ſine labore ſudoreque exprimantur. Quae qui recte aeſtimat, neque ignorat, quantum utilitatis et damni a perſpiratione bene maleque habente in nos redundet, is quidem facile intelliget, inter primarios ſomni uſus perſpirationem corporis merito referri.

V.

Neque alia ratione ſomnus, id quod vulgo dici ſolet, alit corpus et humectat, quam quod in eodem ſangvis, propter illum eundem aequabilem circuitum, et inde procedentem aequabilem in vaſis et ductibus quibusque ſecretionem, per laxatos et hiantes partium poros meatusque omnes quacunque penetret, et atomos tenuiſſimae cuiusque partis roris ſui vaporisque per totum fuſi humore riget intime et vegetet, quodque vigilia e corpore deceſſit, inſtauret et reſtituat. In quam ſententiam *Hippocrates VI. de morb. vulg.* ait: *Labor articulis et carnibus cibus eſt: ſomnus viſceribus.* Nimirum labore atque exercitatione articuli et muſculi, motionum inſtrumenta, firmitatem et robur acquirunt, non ſecus ac cibis. Somnus autem viſceribus etiam veluti cibus eſt, quia in eo vacans ab operibus animae circuitus ſangvinis, ſibique relictus, refectioni ſui atque ſecretioni ſuccorum, quae variorum ope et miniſterio viſcerum peragitur, nutritionique adeo horum et univerſi corporis ſolummodo incumbit. Quo quidem modo cum fibrae omnes cerebri et nervorum, muſculorumque, diurnis motionibus fati-

gatae, ſuccisque vividis quodammodo exhauſtae, ubi a motionibus iſtis in ſomno remittunt et otiantur, facta per vigiliam diſpendia reſarciant, et recollectis ex ſangvine ſuccis, ad plenitudinem tonumque priſtinum ſeſe revocent: fieri omnino debet, ut corporis ſolida aeque ac liquida, reaſſumto paulatim vigore et aequilibrio, dormientem magis magisque reficiant, et refectum ſatis ac viribus confirmatum ad ciendos partium motus et mutandum corporis ſitum, obeundasque ſenſuum mentisque operationes inſtigent et exſuſcitent.

VI.

Ex hac enarratione ſtrictim expoſita illud iam conficitur, ſapientiſſime Deum ſolertiſſimeque vigiliae et ſomni viciſſitudines ſanxiſſe, ut circulus ſangvinis, a quo vita pendet, in vigilia vires exerat, et miniſterio cerebri et nervorum, muſculorumque, ſenſuum ac motionum et ipſius operationes mentis ſuſtentet ac tueatur, et ne diſſipetur nimium ac deficiat tandem, in ſomno ſibi relictus recolligat ſeſe, et ſuccos membris quibusque et partibus ad exercendas vigiliae vires diſtribuendos cumulet. Atque haec cum ita ſint, nihil quidem cauſae eſſe video, quamobrem multis refellam opinionem veterum, qui ſomnum volebant eſſe coitum quendam caloris nativi ad interiora viſceraque refugientis. Novimus etenim, nullum in nobis calorem eſſe, praeterquam eum, qui ab impulſo per arterias actoque in orbem ſangvine colligitur, et venerandam alioquin antiquitatem, ignaram quippe vitalis circuli, in exponenda oeconomia animali nimium calori

et

et propemodum omnia tribuiſſe. Neque adeo nunc erit, ut multa de vi caloris in conficiendis cibis praedicem, cum ſatis iam conſtet, cibos dentibus conciſos prius et comminutos, ſalivaeque ſubactos humore, miniſterio perſpirationis interioris motusque ventriculi, cum adſtringentis ſeſe, tum remittentis, adiuvante alterna ſepti transverſi, tanquam preli iniecti, et muſculorum abdominis agitatione, confici, atque his cooperantibus machinis in eiusmodi maſſam redigi, quae deinde in inteſtinis facta liquidior, parte ſui meliore et ſuccoſa per vaſa duci lactea, et vitalis ope circuitus in ſuccum et ſangvinem abire, ac corpus univerſum reficere et inſtaurare posſit. Quo quidem loco non praetermittendum, id quod *Archibald. Pitcarnius Diſſ. med. p. 81.* ex principiis Borellianis et Neutonianis oſtendit, vires et potentias muſculorum diaphragmatis atque abdominis, ratione compoſita ex ratione longitudinum, latitudinum et profunditatum, h. e. ratione ſolidorum homogeneorum ſive ponderum conſideratas, vix cedere viribus lapidis molaris, et ſolius potentiam ventriculi aequare pondus librarum 12951, quae quadrupla eſt potentiae naturalis cordis per propoſitionem 67. *part. II. Operis Borelliani de motu animalium*, qui oſtendit hanc eſſe circiter librarum 3000.

VII.

Iam ſi videamus, visne conficientium cibos inſtrumentorum ſomno magis, an vigilia vigeat, ex iis, quae praeſtruenda duximus, fatendum erit, motum et robur ventriculi, quo cibus commolitur, multo vigi-

lantibus, quam dormientibus, validius esse. Nam sicuti in vigilia circuitus sangvinis vires, quas collegit somno, exerit in nervis et musculis, atque adeo alacrior etiam est succi nervosi transitus ex cerebro in eosdem musculos ad exercendas motionum operationes: sic idem locum habebit in musculo ventriculi. Praesertim cum in vividiores motus ab alternis incumbentium septi transversi et musculorum abdominis contractionibus, quae magis eodem tempore vigent, compellatur, nec parum inde in eo negotio adiuvetur. Quare cum actio sit ventriculi divisio cibi et comminutio, ope motus sui cibum commolentis, is vero motus magis vigilia vigeat, quam somno, consequatur necesse est, cibos in vigilia citius et aequali tempore melius, quam somno, confici. Idem sensisse veteres *Plautus* comprobat, apud quem Simo in Mostell. *Non bonus est somnus*, inquit, *de prandio*. Nec vero obest, quod ex mente *CL. Bohnii Circ. physiol progymn. 30. quia nihil aut parum spirituum motibus spontaneis atque sensationibus in somno deditis impenditur, isti muniis naturalibus, sive vitalibus, magis incumbere dicantur, a quibus tempore vigiliarum per illas avocantur.* Quippe cum apud omnes in confesso sit, succum nervosum, vel spiritus, quos vocant, ex cerebro maiori copia motuque vividiore tempore vigiliae, quam somni, ad partes derivari, et proinde eodem tempore maiori robore musculos, quo merito referas ventriculum, pollere. Satis quidem evidenter quivis in se ipso comperit, pro motu vario corporis a pastu adhibito, eoque vehementiore, aut moderato, vel etiam neglecto, cibos vel *citius*, quam fieri debebat, ac motu praecipiti crudos ventriculo eiici,

ci, vel ſatis ſubactos et commolitos ſenſim paulatimque emitti, et corpus reficere, vel diutius nec ſine moleſtia inibi relinqui, atque in cruditates abire; et alvum quoque eidem vario corporis motui reſpondere, ita ut, quo quis diutius dormit, vel minus movetur, hoc fere tardius et ſegnius alvus moveri ſoleat. Ad haec accedit, nos diutius ieiunare poſt coenam, quam poſt prandium, quod ad confectionem cibi veſpertini longiori utamur temporis intervallo, quam ad confectionem meridiani: cum paucae a prandio horae intercedant ad coenam: a coena autem ad prandium altera etiam parte plus temporis ſit; cuius et bonam partem dormitur. Nam ſolet ventriculus in ſanis et vigilantibus magnam partem ad quartam horam a paſtu depleri, neque tamen chylus ante horam ſextam vaſa lactea plene ſubire; quo deinde in venas et ſangvinem ingreſſo, preſſio huius augetur, et copioſior fit perſpiratio, ita ut tranſitus chyli in ſangvinem et perſpiratio duplo fere citius perficiantur, quam ciborum confectio in ventriculo. Quae perſpiciens *Sanctorius*, ſomnum a coena quatuor circiter horis utiliorem putat, quod natura tunc minus occupata concoctione prima, melius reſtituat, quod eſt amiſſum, et melius perſpirationi faveat. *l. c. S. IV. aph. 28.* Ac popularis eſt obſervatio, plebem non ſolum ex labore aſſiduo cibi appetentiorem fieri, ſed etiam cibum pluries una die ſumere, ſumtumque feliciter conficere, et econtrario ſomnum a cibo ſtatim initum non minus, quam nimium, maxime noxium eſſe. Hinc enim homines non modo reddi videas torpidos, atque ad res agendas ſegnes ac inertes, verum etiam male inchoatae ac peius peractae concoctionis

ctionis manifesta edere documenta, quando expergefacti murmura ventris et borborygmos, et quandam eius fluctuationem ac plenitudinem sentiunt, plurimumque excreant et eructant cum cibi potusque assumti nidore, et gravedine praeterea ac doloribus capitis et vertigine tentantur, ac viam sibi ad morbum hypochondriacum, articularem et malum corporis habitum, pluraque alia incommoda parant, a quibus immunes alios tutosque comperias, qui memores illius Scholae Salernitanae: *Post coenam stabis, aut passus mille meabis;* a cibo corpus nequaquam somno tradunt, sed vigilantes istam naturae operationem, quam vocamus concoctionem, molli et placida deambulatione, aut quadam corporis animique recreatione non laboriosa adiuvant. Neque enim a cibo, dum is confectus propemodum fuerit, atque a cruditate vindicetur, quicquam est agendum, quo vel corpus, vel animus paulo vehementius incitatiusque agitetur; quod vel cibus adhuc crudus deturbetur e ventriculo, vel motus opifex succus nervosus, a quo vis ventriculi pendet, ab hoc nimium divertatur, et alienis corporis vel animi laboribus impendatur. Quo fit, ut cruditas consequatur inprimis periculosa. Idem illud de lucubrationibus bene sensit *Barclaius*, cum *ic. anim.* inquit: *Non habet vim suam ventriculus, evocato in subsidium laborantis cerebri igne.*

IIX.

Quod autem a laudato antea doctissimo Viro ex *Willisio* affertur, in dormientibus optime alimentorum

rum coctionem peragi, quod ſomnus cruditatibus ventriculi ſuperveniens, has promte ſolvat et digeſtionem facilitet, interruptus vero et deficiens hanc maxime turbet, ac ventriculi gravitatem et fluctuationem creet: id, mea quidem ſententia, ſomno meridiano parum prodeſt. Sic enim etiam *Galenus IV. Val.* omnes, qui cruditate magna laborant, quieſcere non modo noctu, ſed etiam totum ſequentem diem cum cibi abſtinentia iubet. Namque abſtinentia reficitur ſtomachus, et minus concoctum crudumque paulatim conficitur partim, partim alvo emittitur, quodque ſuperflui venas et ſangvinem intravit, quiete et ſomno per tranſpirationem, vel vias urinae, quae tanquam imperfectae cuiusdam tranſpirationis ſunt itinera, tollitur. Quorſum proinde referri poteſt, quod habet *Sanctorius l. c. ſect. III. aph. 24. Robuſtus ciborum plenitudinem abſumit per inſenſibilem tranſpirationem: minus robuſtus per urinam: debilis magna ex parte per chyli corruptelam.* Quod vero praeterea ex eodem additur *Williſio*, interrupto vel deficiente ſomno concoctionis opus maxime turbari, et ventriculi gravitatem ac fluctuationem induci, hic facile intelliges, immerito tribui ſomno, quod ipſi ventriculo adſcribendum erat, ſi rerum uſum audias, quo quidem edoctus *Sanctorius S. IV. aph. 39.* ita annotavit: *Si quatuor horis a ſomni initio cibus corrumpatur, ſtatim haec duo mala ſe invicem conſequentia contingunt: prohibita perſpiratio, et vigilia.* Et *aph. ſeq. 40. Nulla cauſa ſaepius ſomnum interturbat, quam ciborum corruptela: id efficit, quae eſt inter ſtomachum et cerebrum ſympathia.* Quippe vitiatam concoctionem minor ſequitur perſpiratio, quod nihil vel parum in ſangvinem ſit transmiſſum;

neque ſomnus continuatur propter aſſiduum ſtomachi irritamentum ex corrupto alimento, vel vomitione, vel deiectione, ſiquidem confici ſatis nequeat, eliminando. Idem vero vigilia ope abſtinentiae, et adiuvante vel quiete, vel exercitatione, obtineri poteſt. Quemadmodum habet *Oribaſius VI. Med. collect. 6. Vigilia plenitudinem per habitum digerit, quae in ventre ſunt, minuit, et ut per partes infernas exeant, praeparat: langvorem diſſolvit, gravitatem diſpenſat, reſoluta corrigit, et robur naturae atque animo adiungit.* Demum melius in vigilia, quam ſomno cibos confici, ipſi quidem aegrotantes teſtari poſſunt, quos conſtat in bradypepſia, noctu concoctione facta, peius habere, quam interdiu; quod in cachecticis, hydropicis et incubo laborantibus videmus accidere, qui noctu frequentius, non recte peracta concoctione, poſt primum ſomnum afficiuntur, quam interdiu poſt meridiem ea facta, niſi ſuperdormiant, quo tempore etiam magis laeduntur.

IX.

Neque vero facile hos, qui ſobrio et parco contenti prandio animo et corpore valent, ſed eos potisſimum ſomno meridiano rapi et indulgere videas, qui ad ſatietatem usque corpus paſcunt et ſaginant. Qui quidem hoc infeliciores merito habentur, quo magis ſomno vim ventriculi cibis adhibendam impediunt et hebetant. Siquidem is natura inſtituitur ad corporis univerſi, ipſiusque adeo refectionem ventriculi, ut ex confecto a ſe ſucco, delato in ſangvinem, et circuitione vitali diviſo ſatis ſubactoque, non minus quam muſculi

alii

alii partesque ceterae, vires recolligat, et quicquid vigilia corpori detractum, mature reparetur, quod vero in eodem est superflui, ne vigilantis motui atque agilitati obstet, extra corporis terminos in ambientem aera effluvio tenuissimo salubriter discutiatur. Qua de causa *Sanctorius l. c.* somnum quatuor horis a coena inprimis utiliter capiendum putat, quod tunc suo munere perfuncto rectius ventriculo, natura concoctione prima minus occupata, melius nutritioni et perspirationi corporis incumbere possit. Nam, ut idem ope staticae deprehendit l. c. *Sect. III. aph. 52. Tempus minoris perspirationis est, quando stomachus est plenus, et praecipue varietate eduliorum;* quia stimulus perspirationem divertit, eaque intro ventriculum versus lata, in habitu corporis minuitur. Elaborato autem et concepto venis chylo, illico plenior fit perspiratio, tantaque, ut duplo magis dormiens perspiret vigilante, secundum *Sanctorium sect. IV. aph. 2. et 18.* Quodsi enim a coena quinque horis somno mox excitatum perpenderis, vix mediam libram; si octo horis, tres libras perspirasse invenies: inde vero ad decimam sextam haud libram abiisse comperies. Quod quidem ita fit, quia vix ante horam quintam vel sextam a cibo multum chyli in vasa commeat, cuius deinde pleniore accessione augetur pressio sangvinis et perspiratio, duploque plus per glandulas et poros corporis difflatur, quam aut prius, aut posterius, dum exhaustis pene glandulis, lente admodum, quod reliquum est, perspirat. Adeo multum et copia et specie differt perspiratio facta somno, ab illa, quae fit in vigilia. Namque illam *Sanctorius* cursu septem horarum in dormiente invenit in multis

esse quadraginta unciarum circiter, in vigilante vero viginti. Et cum haec sit immatura, acris, violenta et cum labore, ac consequente lassitudine atque infirmitate virium: sic econtrario altera, cum partes omnes vegetet et humectet, ac supervacaneum disiiciat et auferat, vires reficit et instaurat, et leve corpus ac agile, mentemque ad obeundas actiones erectiorem reddit. Vnde pro varietate somni varia esse et perspiratio et sanitas solet. Etenim sicuti somnus placidus adeo favet perspirationi, ut duplo magis dormiens perspiret, quam vigilans, imo perspiratio in somno placido aliquando maior sit, data temporis paritate, quam in exercitio vehementi et violento, secundum *Sanctorium Sect. IV. aph. 6.* ita somnum inquietum impedire trientem solitae perspirationis, comperiit *Sanctorius l. c. aph. 5.* Eodem annotante *aph. 30. et 31.* Somno solito breviore semper aliquid perspirationis prohibetur: retenta vero aliqua perspirationis consvetae parte, die sequenti vel a prandio somno rapimur, et horae spatio libram circiter perspiramus: vel nocte sequenti tanto longior esse somnus debet, quanto magis solito expedit perspirare: vel in sensibilem crisin, vel in febrim morbosque alios labimur, nisi abstinentia avertantur. Ex quibus satis, opinor, incumbens nobis necessitas somni expediendae chyli dispensationis et perspirationis causa apparet, et facile redarguitur opinio illorum, qui somnum coctioni ciborum, vigiliam vero eorum distributioni praecipue accommodatam esse volunt. Hi enim, dum vel calore, vel fermento et fermentatione cibos confici opinantur, nihil idonei pro ea sententia adducunt, et neque negotium chylificationis, neque per-

perſpirationis, neque ſomni naturam ſatis intelligere videntur.

X.

Sunt tamen, qui pro ſomno meridiano ipſam loqui naturam velint, quum hac duce cetera cuncta animantia et puerō a refectione maximo cum emolumento et quieſcere et dormire videantur. Neque adeo minus utilem ſomnum a ſumto prandio futurum exiſtimant. Durum potius atque a naturae lege alieniſſimum cenſendum iudicant, certum homini aliquod ſomni tempus praeſcribi, quum animantibus reliquis eadem id liberum, neque aliquibus limitibus circumſcriptum eſſe voluerit. Sed hi meminiſſe debebant, pueros molli, quo fruuntur, alimento minus ventriculo negotium creare, et cum maxime ali et creſcere debeant, quiete inprimis opus habere, ac propter molliſſimam et fere liquidiuſculam cerebri compagem ſomni multi eſſe. At eos tamen, quod *Varro* apud *Gellium* ait, compertum eſt hebetiores fieri, ſi plurimo cibo nimioque ſomno uterentur: animadverſumque eſt, ſaepius hinc elici tarditatem, et eorum corpora minus augeri et adoleſcere, et variis pueros morbis, inprimisque comitiali obnoxios eſſe. Id quod ipſe annotavit *Ariſtoteles*, cum ſimilem ſomnum morbo comitiali, ac quodammodo morbum eſſe comitialem ſtatuit, *de ſomno et vigil. cap. 3.* Quantum vero ad animantia bruta attinet, horum quidem, quae ruminant, conſtat, a paſtu humi procumbere et quieſcere. Ita enim a praedicto Philoſopho hanc notatam illorum proprietatem legimus

mus *IX. Histor. cap. ult.* his verbis: πάντα δὲ κατακείμενα μηρυκάζυσι μᾶλλον. *Iacent potissimum, cum ruminant omnia.* Non quia nunquam stantia ruminant, sed quia magis et saepius iacentia, ut natura intelligatur. Ita *Caesar Scaliger* in *commentario* ad hunc locum *Aristotelis: Et dixit* μᾶλλον, *quia etiam stantia: adeo ut bos etiam ad plaustrum vinctus decumbat, ut ruminet, licet non semper.* Non igitur iacent et quiescunt, ut dormiant, sed ut ruminent. Quamobrem vero ea animantia se humi ad pabulum ruminandum componant, solerter *Fabricius ab Aquapendente* in libro, quem scripsit *de ventriculorum varietate*, ita declarat: *Vltimo hoc loco quaeritur a quibusdam, cur animalia plerumque iacendo ad ruminandum sese accommodent, cum tamen eodem modo, quo cibum in os ingesserunt, eundem quoque regerere posse videantur? Dicendum esse arbitror, quod natura hunc modum ruminationis, qui a corpore gravi contra suam naturam fieri sursum apparet, evitare, eiusque violentiam utcunque moderari voluerit; id quod magis iacendo, quam stando non incommode praestare poterat. Hoc enim modo cibus longe cum minori difficultate ascendere cogitur, nec tam alte in os compulsus trahitur: quam facilitatem adhuc non parum ipse decubitus, quo semper in alterum latus animalia decumbunt, adiuvare videtur. Sic enim via, per quam cibus sursum regeritur, declivior et commodior fit, et longe minori cum labore et conatu cibus in os propellitur, quam si stando vel incedendo ruminatio perageretur.*

XI.

Sed quoquo se modo res cum animantibus brutis habeat, nihil inde concludendum est pro homine, quem divina

divina illa ratione praeditum a brutis discrevit, quemque ad imaginem suam condidit Deus, atque animantibus reliquis praeesse voluit. Est enim homini natura praefinitum, ut secundum rationem vivat, cui nobilissimae vitae universa animalia organa subserviunt, cum animantia rationis expertia non ultra animales functiones progrediantur. Sane si homo toto vitae spatio in operationibus suis sine interruptione sibi constare posset, nihil profecto optabilius, nihil praestantius: at tanto bono fragilis materiae conditio non sufficit. Exigit nempe anima, quamdiu hoc clausa carcere comprehenditur, pro obeundis operationibus ministerium organorum corporis, quae ita agitari perpetuo moverique nequeunt, quin defatigentur et langvescant, atque adeo alterna requie et refectione egeant. Huic autem corporis refectioni cum unicuique abunde nox, ac plerisque aliquot illius horae sufficiant, secundum vulgarem versiculum:

Septem horas dormisse sat est iuvenique senique;

hoc certum somni capiendi tempus ipsa nobis natura praescribi merito putemus. Siquidem qui haec intervalla, huncque ordinem motuum diei ac noctis, somni atque vigiliarum ab initio in natura sanxit, is procul omni dubio silentium ac tenebras noctis quieti et somno praefecit, sicuti actionibus officiisque diem, redeunte nimirum luce, ac veluti agendis commode rebus praeferente nobis facem Sole. Somno medium quiddam inter vitam et mortem vivimus. Vita vero uti vigilia est: ita moveri exercerique animo et corpore, vitae est expressio. Praeclare *Plato* in *Timaeo*: *Si quis*, inquit,

inquit, *in curando corpore illam imitetur naturam, quam altricem universi vocamus, ita ut nunquam torpere permittat, sed moveat semper, iugique agitatione externis internisque motibus secundum naturam resistat ubique, et moderata quadam commotione oberrantes affectus corporis, partesque cogitationis, ratione servata, vicissim in ordinem redigat et exornet, nequaquam inimicum inimico admotum praelia in corpore ciebit: sed efficiet potius, ut amicum adhaerens amico sanitatem corporis tueatur.* Quae profecto aurea sententia communem corporis et animi providentiam continet, boni habitus utrique conciliatricem. Sicut enim animus agendo vires suas, praesertim memoriae in immensum adauget: sic virtutes corporis exercitatione sustinentur et increscunt. Et quicqud his diuturnitate fatigatur et perditur, hoc cibo somnoque brevi spatio resarcitur, quibus proinde ita utendum, quo vires recreentur, non opprimantur: ut reparentur, non convellantur.

XII.

Quamobrem si vigiliae somnique vicissitudinem ad mediocritatis et naturae leges, quemadmodum decet, moderari velimus, unus somnus nocturnus, qui exercitationem sequitur diurnam, refectioni hominis necessarius et utilis censendus erit. Nam ignavia fugat somnum, studium vero et industria provocat eundem, et optimum est lassitudo hypnoticon, talisque somnus naturalis medicato cuique millies praeferendus, quia lassitudinem omnem abstergit, atque ad crastina negotia alacriorem reddit hominem.

nem. Ordinem vero naturae et officia lucis noctisque pervertit, qui ſomnum nocturnum meridiano impedit vel excludit, aut hoc illum, ſi ad praeſcriptum naturae fiat, adauget. Nam utroque modo, ut taceam hinc evenientia concoctionis vitia, crebrius, ſaepeque diutius preſſae fibrae cerebri et nervorum, et circumfuſi immiſſique copia et inertia humidi emollitae et relaxatae, quaſique agglutinatae, a vivida tenſione magis magisque declinant, et laxarum more chordarum remittunt tandem et flacceſcunt. Quo fit, ut nec derivationes excretionesque recte vigeant, et homo animo pariter ac corpore paulatim torpeſcat, et quo plus dormit, eo magis dormire velit, et pravis pollutus ſuccis, qui ſunt radices perturbationum animi et corporis, vel invidia, vel amore vigil plerumque torqueatur, ac tandem in morbos incidat varios, quorum non paucos *Iulius Alexandrinus lib. XXI. ſalub. cap. 6.* his verbis proponit: *Diurni ſomni, pomeridianis, aut meridianis ipſis horis facti, evidentiſſima ſaepe nocumenta viſuntur, paratis inde plerisque viſcerum obſtructionibus multis, ſubortisque multoties febribus, praebitaque interdum generandis ex hoc abſceſſibus occaſione. Deſtillationum quidem haec ſaepenumero una cauſa fuit, malique habitus, et contracti per corpus palloris: multos nihil aeque torpidos facit, quam hoc, et ad agendas res ſegnes. Alii flatulenti inde fiunt, aut acidos ructus, aut ventris fluctuationem percipiunt, degravarique ſibi corpus ſentiunt, quaſi laxatis nervorum compagibus ponderoſum.* Eadem fere paucis complectitur *Sanctorius l. c. S. IV. aph. 66. Somnus meridianus inſolitus viſcera omnia laedit, hebetatque perſpirationem.* Quibus addendum, quod habet *S. III. aph.*

105. *Bonae valetudinis peſtis eſt duplex: corpus ex toto tradere quieti* (meridianae) *et comedere ante cibi praecedentis concoctionem.*

XIII.

Quae vero de ſomno meridiano hucusque diximus, ea potiſſimum de ſanis et recte valentibus accipienda ſunt. Ceteroqui vero in aegrotantibus, et quibus nox praeceſſit minus quieta, locum aliquando habere et admitti poteſt. Qua ratione *Hippocrates I. de Diaeta* eum aliquando praecepit: et *Celſus lib. 1. de re med. cap. 2.* longis diebus meridiationem potius ante cibum: ſin minus, etiam poſt eundem admittendam cenſuit, nimirum aeſtate, et in debilibus ac ſtomacho imbecillis. Ex his videlicet iis praecipue conveniet, in quibus heſterna cruditas vel aliud quid perſpirationi nocturnae obfuit, quam quippe ſomnus ante cibum, vel aliquandiu ab eodem egregie adiuvare poteſt. Quorſum pertinet, quod notatum reliquit *Sanctorius l. c. S. IV. aph. 37. Hora dormitionis meridianae a cibo corpora aliquando libram, aliquando ſelibram excrementorum occulte perſpirabilium excernere ſolent: libram, ſi aliquid perſpirationis heſternae diei retentum ſit: ſelibram, ſi nihil.* Et *aph. 38. Si aliquid heſternae perſpirationis ſit retentum, et per ſomnum meridianum illud omnino non excernatur, ſtatim a ſomno perſentitur magnum capitis pondus, magnusque dolor gravativus.* His demum adiicienda eſt conſvetudo, quando, quod dici ſolet, in naturam tranſiit. Nam quemadmodum ſunt homines, qui pravos edere cibos ſine incommodo conſve-

ve-

verunt: ita ſomno meridiano ita adſvetos videas, ut niſi eum capiant, totam diem cum torpore et taedio tranſigant. Inter veteres *Marc. Varro* hoc ſomno, quem ſcite inſititium vocavit, uti ſolitus eſt, adeo ut aeſtivo die ſine eo vivere ſe poſſe negaret *lib. de re ruſt. cap. 2.* Hos enim mos tenebat olim, ut aeſtivo tempopore ſomnum leviuſculum meridie caperent, quanquam id non omnibus probatum fuiſſe, ex illo, quem laudavimus, Plauti loco conſtat. Ac praeſtat omnino iis non adſveſcere, quae praeter ordinem et leges naturae fiunt. Optime, id quod ſentio, expreſſit *Plato lib. 7. de Leg. Qui vitae et ſapientiae curam gerit, plurimo tempore vigilat, id ſolum providens et obſervans, ut ſomni tantum capiat, quantum ad ſanitatem poteſt pertinere: ad cuius quidem conſervationem non multo ſomno opus eſt, dummodo recte ſit conſtitutus ſomni capiendi modus.*

Venuſte etiam Poeta, quocum finio:

Luce vigent operoſae artes, it miles in arma
Luce; gemunt feſſi ſub iuga luce boves.
Delia non noctu venatur: nocte quieſcunt
Pulpita: ſed luce eſt docta Minerva vigil.
Luce minax Pallas: vigilate quot bona lucis
Corpora, Dii, ſenſus, ingenium arsque vigent.